



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. II. Vtrùm assensus fidei theologicæ sit omnino supernaturalis ex
obiecto formali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

DISPUTATIO XIV.

De actu sine assensu fidei, ijsq; qua nobis credenda sunt.

DUBIUM I.

Quid sit fides, sine assensu fidei.

D Thomas 2. 2. q. 2. a. 1. & q. 4. art. 1. adfert duas fidei definitiones: v. nam ex D. August. l. 1. de Prædest. c. 2. vbi ait: *Quamquam & ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare.* Secundam sumit ex Apostolo ad Hebræos 11. vbi dicitur: *Est autem fides sperandarum substantiarum verum, argumentum non apparentium.* Quas fidei definitiones siue descriptiones S. Thom. locis citatis fuisse explicat, docetque priorem convenire ipsi actui, ut etiam per se patet. Secundam vero attribuit ipsi habitui. Sed etiam hæc descriptio satis ipsi actui tam intellectus quam voluntatis convenit: nam res sperande in nobis subsistunt, siue subsistunt nobis quasi præsentibus, ita ut à nobis sperari possint ratione actualis fidei, & voluntas imperans assensum fidei, loco argumenti siue clare demonstrationis determinat in intellectu, ut res non apparentibus assentiat, habitus autem dicta facit, quatenus mediante utroque actu res sperandas nobis præsentibus sistit, & facit ut ijs firmiter adhareamus. vide dicta disp. 11. n. 32. vbi dicta verba Apostoli fuisse explicui.

Clarius actus fidei definiti ita potest: credere est alicui assertioni propter alterius testimoniū assentiri. Quia ratione complectitur tam fidem humanam, qua aliquid credimus propter testimonium hominis; quam divinam, qua aliquid ita credimus ob testimonium Dei, ita ut fides nostra hoc & præcisè & ultimò nitatur: iuxta dicta disp. 9. dub. 4. & 5. Posita autem hac definitione primum nobis disputandum esset qua ratione assensus fidei sit supernaturalis; sed hanc difficultatem satis explicui disp. 4. dub. 3. vbi ostendicū esse supernaturalem in substantia; quare ad alias difficultates explicandas iam pergam.

DUBIUM II.

Utrum assensus fidei theologica sit omnino supernaturalis ex obiecto formali?

VT sensus huius dubii clarius intelligatur, Nota Primò, satis inter omnes constare, nos non posse naturæ viribus sine vlla Dei reuelatione cognoscere mysteriū Trinitatis, Incarnationis, aliq; similia; atque ita hac ex parte fidem horum mysteriorum esse supernaturalem ex parte obiecti, quatenus hoc viribus naturæ sine Dei reuelatione non possumus cognoscere. qua ratione etiam Pelagiani cōcedebant fidem esse supernaturalem, & nos ad eam indigere gra-

Coninck de act. supernat.

tia, scilicet ipsa Dei reuelatione; ut ostendi supra disp. 4. dub. 4.

Nota Secundò, satis constare, nos posita Dei reuelatione propter hominum aliquorum auctoritatem id testantur, aut quia videmus totam antiquitatem aliquid credidisse, aut ob alias notas fidei, aut rationes nobis euidentibus, posse naturaliter credere rem aliquam à Deo esse reuelatam; & consequenter eam esse veram. Atque adeò satis constat, nos naturaliter posse credere mysteria fidei propter Dei testimonium ex notis fidei aut aliorum attestatione cognitum, ita ut nostra fides tandem ultimò nitatur auctoritate illorum hominum, aut cognitione euidentem ex notis fidei accepta. Hæc enim aperta docet experientia in hereticis, qui saltem hæc ratione multa vera mysteria fidei credunt propter Dei testimonium. Sed tota difficultas est, utrum posita Dei reuelatione possimus mysterijs fidei sufficienter nobis propositis, viribus naturæ assentiri, facis propter Dei testimonium; ita ut fides nostra hoc ultimò nitatur.

Quidam, quos citat disp. 3. dub. 3. docentes actum supernaturalem in substantia necessariò differre obiecto formali ab actu naturali, id negare fieri posse. Primò, quia assensus fidei est in substantia supernaturalis: ergo debet habere formale obiectum omnino supernaturale, & omnino distinctum ab obiecto actus naturalis; quia, cum actus specificentur ab obiectis, actus naturalis & supernaturalis debent habere diuersa obiecta formalia. Sed hanc rationem loco iam citato refutavi, vbi ostendi utrumque actum posse habere idem obiectum formale. Mouentur Secundò, quia intellectus nequit naturaliter assentiri alicui propositioni, nisi habeat sufficientem rationem qua ad hoc moueatur: atqui auctoritas diuina obscure reuelans secundum se præcisè sumpta non est talis ratio: ergo intellectus nequit naturaliter propter hanc præcisè sumptam alicui propositioni assentiri; sed ad hoc indiget aliquo auxilio supernaturali.

Respondeo negando minorem: nam etsi auctoritas diuina obscure reuelans non sit ratio sufficiens ut sine imperio voluntatis intellectum determinet ad assensum; si tamen sit alicui sufficienter per notas fidei proposita ac probata, ita ut appareat euidenter credibilis, iuxta dicta disp. 13. dub. 1. est sufficiens ut accedente voluntatis imperio, intellectum ad assensum moueat. ut infra magis patebit.

CONCLUS. I. Verius est nos naturaliter posse assentiri mysterijs fidei præcisè propter diuinam auctoritatem obscure reuelantem, atque adeò propter idem obiectum formale, propter quod assensu supernaturali iis assentimur; si modò ea prius nobis sufficienter sint proposita, ita euidenter

Qua ratione possumus naturaliter credere res fidei.

In quo consistat difficultas.

6.

Fides naturalis & supernaturalis possunt habere idem obiectum formale.

Fides naturalis & supernaturalis possunt habere idem obiectum formale.

X

dentes

D. Thom. August.

Hebr. 11.

Fidei definitio.

coy. es ha. specia. one.

ft. anti. exp.

denter appareant credibilia, prout disp. 13. dub. 1. dixi requiri, ut iisdem fide diuina possimus assentiri. Ita Sorus lib. 2. de Gratia c. 8. ubi fidem credentis sine gratia, ab ea, quæ procedit ex gratia, solum distinguit in eo, quod hæc necessarium sit firmior. & Molina in sua Concord. disput. 8. ubi plures alios citat. Et hanc sententiam necessarium tenent omnes ii, qui docent fidem theologiam tantum esse supernaturalem secundum modum: qui consequenter debent fateri eam non distingui obiecto formali, à fide naturali, alias necessarium specie distingueretur. inter quos est Caietan. 2. 2. quæst. 171. a. 2. & alii.

8 Probatur Primò, quia, ut iam ostendi, nulla est ratio qua probetur id fieri non posse.

Prob. Secundò, quia sicut voluntas potest efficere ut aliquas rationes aliis leuius momenti intellectus vehementius apprehendat, & iis moueatur ut aliquid firmiter credat esse verum; ita potest efficere ut vehementer apprehendat auctoritatem Dei, & nos teneri firmissimè credere ea omnia, quæ prudenter iudicamus ab eo esse reuelata, & ita hunc monere ut hæc propter eam firmiter credat. nulla enim hæc videtur ratio, cur hoc negetur; præsertim si talis non sit malè erga res fidei affectus, & nullam patiat hinc & nunc tentationem contra articulum fidei sibi credendum propositum. Confirm. quia, ut ostendi disp. 9. num. 74 possum aliquid credere immediatè propter testimonium humanum obscurè creditum, ita ut fides mea hoc vltimò nitatur: ergo possum similiter aliquid credere propter testimonium Dei; nec enim est vlla ratio cur ceteris paribus non possum tam moueri ad assensum testimonio Dei, quam hominis.

9 Probatur Tertiò, quia hæreticus credit Deum esse trinum præcisè quia Deus hoc reuelauit: atqui hoc ipse credit fide merè naturali, & consequenter natura virtutibus; ergo hoc fieri potest. Minorem etiam aduersarij communiter concedunt; sed negant maiorem, & aiunt hæreticum non credere illud propter diuinam reuelationem, ita ut eius fides hæc vltimò nitatur; sed ob alia aliqua argumenta, quibus sibi persuadet hoc à Deo reuelatum esse, quibus eius fides vltimò nititur.

Sed contrà, Talis firmitus credit illud mysterium esse à Deo reuelatum, quam vlla argumenta humana hoc ei persuadent. quia talis sæpè est paratus negare potius alias veritates, quæ ipsi euidentiores apparent, quam illud mysterium esse à Deo reuelatum, quod tamen ei est minus euidentius; ergo credit hoc immediatè propter auctoritatem diuinam: quia hæc sola potest ei esse sufficiens ratio hoc tam firmiter credendi.

10 Dices, eum hoc tam firmiter credere propter argumenta humana, quia voluntas facit intellectum his tam firmiter adherere. Sed contrà, Si voluntas possit efficere ut intellectus illud mysterium tam firmiter credat propter rationes humanas, cum tamen nulla ratio suadeat id tam firmiter propter eas rationes esse credendum; cur poterit id ita credere præcisè propter diui-

nam auctoritatem, cum aperta ratio suadeat id ita esse credendum?

Confirmatur, quia talis sæpè propter aliquas occurrentes rationes quæ ei apparent euidentiores illis, quæ probant illud mysterium à Deo esse reuelatum, & videntur probare illud mysterium esse impossibile; patitur in intellectu difficultates in credendo, & tamen ex imperio voluntatis persistit in fide istius mysterii: ergo ad hoc mouetur præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis. Quia cum rationes quæ probant huius mysterij credibilitatem, appareant euidentiores, quam contrariæ; nulla potest esse ratio cur illis magis moueatur ad assensum, quam his ad dissensum. Item cum voluntas non magis moueatur illis rationibus, quam his; nulla est ratio, si diuinam auctoritatem amoueas, cur intellectum potius impellat, ut illis magis moueatur quam his. Imò hoc efficere nequit, nisi simul efficiat ut illas apprehendat esse euidentiores aut firmitores quam has, cum tamen in nostro casu contrarium fiat: nam cum hic propter rationes fidei repugnantes patitur in intellectu difficultatem in assentiendo, signum est eum intellectu magis apprehendere rationes contrarias fidei, & has secundum se sumptas, & seculis diuina auctoritate apparere ipsi firmitores iis, quibus veritas fidei probatur.

Quòd autem eiusmodi rationes fidei contrariæ sæpè occurrant hæreticis credentibus aliqua vera mysteria fidei, patet, quia Catholicis sæpè occurrunt, & quidem cum tanta apparentia euidentis veritatis, ut nullis rationibus contrarijs, siue quæ veritatem fidei probent, possint earum vim sistere, & efficere ut intellectus plus his quam illis moueatur; sed coguntur ad diuinam auctoritatem recurrere, cuiusque apprehensione ut proprium iudicium abnegent sese inducere. Quare igitur negemus hoc idem hæreticis sæpè contingere?

13 Probatur Quartò, quia potest naturalis assensus fidei vltimò niti ut obiecto formali reuelatione diuina falsò putata subesse alicui propositioni; ergo potest etiam ita niti vera reuelatione. Patet consequentia, quia non potest ostendi maior difficultas in vno actu quam in alio, nec vlla est causa cur vnum potius negemus quam alium.

Antecedens probatur, quia, ut ostendi disp. 10. n. 76. & 78. fieri potest, ut Catholicus inuincibiliter iudicet rem aliquam falsam à Deo esse reuelatam, atque ita prudenter iudicet eam sibi, propter Dei testimonium putatum hinc & Catholici quandoque aliqua credunt propter auctoritatem Dei actu naturali. nunc subesse, credendam: & consequenter fieri potest ut voluntas intellectui imperet ut eam ita credat: quo casu hic assensus erit secundum se merè naturalis (quia, ut ostendi loco iam citato, habitus fidei aut gratia nequeunt concurrere ad assensum falsum); & tamè niteretur tamquam obiecto formali, testimonio Dei putativo, sicut verà fides niteretur testimonio Dei vero (nam voluntas ex habitu supernaturali & per imperium verè meritorium & supernaturale, eodem modo imperabit hunc assensum, quo imperat alios, & intellectus eodem modo ex parte sua obedi-

dietei in hoc imperio, sicut in alijs: ergo assensus fidei naturalis potest vltimò niti tamquàm obiecto formali testimonio Dei putatiuo, & consequenter etiam vero testimonio niti poterit.

Nec refert quòd dictus assensus non sit futurus verus assensus fidei; sed solum putatiuus, vt ostendit dubio suprà citato; quia, vti iam ostendi, siue hic assensus sit verus assensus fidei, siue non, eadem difficultas est in eo eliciendo; & consequenter eodem modo vterque naturæ viribus fieri potest, aut non potest.

15 Nec etià refert quòd ille actus imperetur ab actu voluntatis supernaturali: quia dato semel quòd ille assensus secundum se possit esse naturalis, facile erit probare eum posse imperari à voluntate naturali: nam cum ratio naturalis doceat obiectum illius voluntatis siue imperij esse perse expectandum (nam lumine naturæ clarissimum est esse honestum & expectandū, ita propter Dei testimonium credere alicui propositioni, quam prudenter iudico à Deo esse reuelatā) nulla est ratio cur voluntas, præsertim si nulla in contrarium tentatione pulsetur, non possit velle ita Dei testimonium credere, saltem in sententia eorum, qui docent nos naturaliter posse elicere aliquas actiones moraliter bonas.

16 Confirmatur, quia, vt dixi disp. 7. dub. 3. per actus supernaturales acquirimus habitum naturalem inclinante potentiam ad eiusdem generis actus circa idem obiectū formale eliciendos. Ponamus igitur aliquem Catholicum qui veris fidei actibus intensum eiusmodi habitum acquisiuit, fieri hæreticum discredendo vni alicui articulo fidei: hic amittere statim omnem habitum infusum; retinebit tamen acquisitum: hic propositis sibi veris fidei mysterijs, quæ adhuc credit, ab utroque habitu acquisito tam voluntatis quàm intellectus inclinabitur, vt ea ita credat, sicut ea ante hæresim credebat. item cum ad hæc credenda moueatur veris fidei notis, vt quia videt ea aperte haberi in Scripturis, ac à tota antiquitate aperte esse credita, prudenter ad ea credenda procedit: ergo poterit ea velle credere, atque adeò credit ob eadem motiua, ob quæ ea credebat ante hæresim; nulla enim apparet ratio hoc negandi. Et tamen cum careat habitibus infusis, tam ipsius actus intellectus, quàm voluntatis, erunt naturales, nisi Deus singulari gratia concursu defectum habitus suppleat. quod nulla ratio nos cogit dicere: imò multò videtur verius tales numquam actus fidei supernaturales elicere, donec ab hæresi conuertantur.

17 Nota demum hæcenus dicta maximè habere locum in iis, qui aut illa quæ iam iis proponuntur, aut saltem alia similia prius vera fide crediderunt; atque ita habent aliquem credendi habitum, siue inclinationem vt testimonio Dei obscure reuelanti credant. Nam in iis, qui primò ab infidelitate ad fidem conuertuntur, propter graues difficultates quæ in noua fide contra inultas inclinationes acceptanda occurrunt, videtur semper requiri aliquod auxilium veræ gratiæ, vt intellectus sufficienter fidei apprehendat, & voluntas velit eas

Coninck de act. supernat.

credere purè propter testimonium Dei, siue ex sincero erga primam veritatem affectu. Quamquam non sit opus vt ea auxilia sint secundum substantiam supernaturalia, nisi vt actus fidei sit in substantia supernaturalis, & sufficiens ad inchoandam iustificationem. Sed hæc fufius disputare pertinet ad materiam de gratia. nobis autem ad præsens institutum sufficit assensum fidei non esse ratione sui obiecti formalis præcisè spectati necessariò supernaturalem in substantia.

D V B I V M III.

Vtrum assensus fidei theologicæ sit necessariò honestus?

18 **D**ocuimus suprà disp. 13. dub. 6. assensum fidei theologicæ esse ex obiecto suo absolute honestum: iam verò quaeritur an sit essentialiter honestus, ita vt nulla ratione possit esse vitiosus?

Pro quo Nota, actum externum ex obiecto honestū dupliciter posse vitari. Primò, intrinsecè siue secundum se ratione alicuius circumstantiæ, quæ efficit vt ipse hic & nunc in se sit illicitus: vt si audias Sacrum quando teneris aliis intendere, aut quando tibi prohibitum est, vt tempore interdicti. Secundò, præcisè ratione intentionis, qua imperatur: vt si quis det eleemosynam ex vana gloria.

19 Mouetur hic igitur difficultas Primò, vtrum ipsum imperium, quo assensus fidei imperatur, etsi ex te & suo obiecto sit honestum; possit tamen vitari eò quòd imperetur ex alia mala voluntate. Quidam enim assensum voluntatis ex obiecto bonum posse vitari ex mala voluntate eam imperante. Sed hos satis refutauit disput. 3. dub. 10. vbi ostendi actum voluntatis imperatum non accipere vllam bonitatem aut malitiam ab actu imperante.

20 Secundò, vtrum ipse assensus fidei supernaturalis possit imperari ab actu voluntatis malo, v. c. ex vana gloria, atque ita fieri malus. Caietan. Medin. D. Thomas. Primò, quia D. Thomas loco iam citato docet, nos posse virtutibus intellectualibus non bene vti: fides autem est virtus intellectualis: ergo secundum D. Thomam possumus ea malè vti. Item ibidem quæst. 65. a. 4. docet, fidem posse esse sine prudentia infusa; & 2.2. quæst. 47. ar. 13. ad 2. docet, fidem posse esse sine reliquis virtutibus, non tamen prudentiam; quia hæc in sua operatione dicit ordinem ad appetitum rectorum, fides verò non: ergo fides potest esse sine appetitu recto, & consequenter potest imperari à praua voluntate.

21 Probatur Secundò, quia, vt docet D. August. c. 17. de Catechizandis rudibus: multi sunt Christiani ob commoda temporalia, aut ex alia praua voluntate, & ex simili voluntate validè suscipiunt baptismum: ergo ex simili voluntate credunt. Tertiò, quia potest quis vti dono prophetiæ aut miraculorum ex mala voluntate: er-

X 2

go

Actus dupliciter vitari potest.

Actus voluntatis imperatus non accipit bonitatem aut malitiam ab imperante.

Caietan. Medin. D. Thomas.

August.

libet
oque
cre-
propter
tate
u nu